



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Henricus Cuickius n. 58

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Ex Alum-
nis.

Ex Marty-
ribus.

Ex libris
scientia
refertissi-
mis.

terrarum Orbe accepisse cernitur : tot millia Collegiorum, ac Domuum, quas habet, homines Collegiorum Alumni, qui citra hyperbolem doctissimi appellari merito possunt. Prouinciæ, quas ad Religionis Christianæ imperium adiunxerunt, sudor, ac sanguis tot Martyrum fusus, libri sapientia ac solida scientia refertissimi, quos edidere, & alia sexenta munera, quæ obiere, ac perpetuo obeunt, quæ quia huius loci non sunt, & ego ijs scribendis impar, prætereo. *Sic illius ex Hispano idiomate perhonorificum testimonium Latine redditum.*

Quam uti-
les Societa-
tis Scholæ.

58. AB HENRICO CVYCKIO *Episcopo ad Albertum Archiducem sic in Scholarum Societatis commendationem scribente.* Meliorem nunc cogitationem suscepimus requirendæ à Patribus Societatis IESV literariæ Scholæ, quæ non Ruremundanæ tantum Ciuitati, sed toti huic supernæ Geldriæ, Vuertanæ quoque, & Iuliacensi nobis conterminæ, & Cliuensi Prouinciæ magno vsui, adeoque necessaria est futura. *Hæc Ruremundanus Antistes in Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. cap. 3. Sess. 1. fol. 772.*

Litera su-
per Loua-
niensis
Collegij
fundatio-
ne.

59. A LÆVINIO TORRENTIO *Antuerpiensi Episcopo vere magno, qui præcipua Patrum nostrorum vsus opera, vltimis quatuor vitæ suæ annis septies mille à fide alienatos Ecclesiæ conciliauit. Quantum in eo Patronum haberet Societas manifestum fuit in Louaniensis Collegij fundatione, quam ei dissuadendam quibus nescio rationibus Academia susceperat: sed frustra, vt constat ex Torrentij literis peregregijs, quas super hac re dedit Antuerpiæ ad Academicos pridie Nonas Maij, anno sexquimillesimo nonagesimo quarto.* Cum ab eo tempore (*inquit*) quo primum instructus literis Louanij, alias quoque Prouincias accessi, ac tandem diuino fretus auxilio in Patriam reuersus sum incolumis; nihil magis desideravi, quam occasionem aliquam dari, quo accepti memor beneficij, de Louanio vicissim benemereri, atque animi gratitudinem aliquam ostendere possem. Successit res non omnino infelicitè. Quod enim ex peculio honeste parto superfuit, id